Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 20 (61)

In nomine domini. Anno a nativitate eiusdem millesimotrecentesimoquinquagesimoquinto. Indictione octava. Die martis septimo mensis
Julii. Cum mors et vita in manibus dei sint, et melius sit sub metu mortis vivere, quam sub spe vivendi ad mortem subitanea
pervenire. Ideo Ego in xpi nomine Pagannina filia quondam domini petri de Lambrate, et relicta quondam domini Johannini Breme Civitatis Mediolani
porte Ticinensis parochie sancti Georgii in pallatio Sana mente ac corpore ac existens in bona et pacifica dispositione Nollens ab
intestato decedere nec mea bona inordinata relinquere, et ad hoc ne post meum decessum de bonis meis vel eorum occasione oriatur
lix, contentio, questio vel controversia aliqua inter meos descendentes vel inter aliquas alias personas hoc meum testamentum et ordinamentum
et hanc meam bonam et ultimam vollumptatem facere procuravi et facio per modum inferius notatum et ut infra, quod quidem meum
testamentum et ordinamentum vollo vallere et tenere iure testamenti et ordinamenti, et in eo, quod non valleret vel teneret iure testamenti
et ordinamenti, vollo vallere et tenere iure codicillorum, et in eo, quod non valleret vel teneret iure codicillorum vollo vallere et
tenere iure mee bone et ultime vollumptatis, ac etiam omni modo iure et forma et via quibus melius vallere et tenere pot.
videlicet Imprimis namque casso, irrito etc. Item instituo michi heredem universallem, hore meo proprio nominando Beltramollum
Bremam filium meum legiptimum et similiter filium dicti quondam domini Johannini Breme olim viri mei, in omnibus meis bonis et rebus
mobillibus et inmobillibus et se moventibus et iuribus et instrumentis et nominibus debitorum, que habeo et michi pertinent et spectant
aliqualiter quacumque occasione, et relinquam die obitus mei. Item Lego etc. Item Lego et ordino et statuo, quod per supradictum filium
et heredem meum post meum decessum dentur de bonis meis infrascriptis personis infrascriptas quantitates denariorum, quas eis inscriptis
personis Lego iudico et ordino pro mercede et in remedio anime mee, et pro eius salute et pro missis et orationibus et alijs divinis
offitijs cellebrandis et dicendis, videlicet Imprimis fratri Ardigino Sicate fratri predicatorum et professo conventus sancti Eustorgii Mediolani, ordinis
predicatorum paterno et confessori meo libras decem tertiollorum. Item fratri Marchioni etc. Et hec est mea bona et ultima vollumptas
Et de predictis Rogo te Tranquilinum Tecchium notarium et meum notarium et cognitorem, quod publicum conficias instrumentum unum et plura
et tot quot expedierit tenoris eiusdem. Et vos omnes infrascriptos testes, quod de predictis testes esse velitis pro testibus.
Actum in Civitate Mediolani porte Ticinensis et parochie sancti Georgii in pallatio, in domo habitationis suprascripte domine Paganine testatricis
presentibus Antoniollo de B., nuncupato filio domini Johannis parochie sancti Johannis ad concham et Beltramollo Tecchio filio quondam domini
Cressolli parochie sancti Sebastiani Ambobus Civitatis Mediolani porte Ticinensis notarijs. Interfuerunt ibi testes, Petrollus de Roxate
filius quondam Thomaxii, Maximinus de Montexello filius quondam domini Sebastiani pro Egidii, Johanollus Trebba filius domini Jacobi, et
Guillolus de Puteo filius quondam domini Uberti, omnes suprascripte porte Ticinensis et parochie sancti Georgii in pallatio, et Allegrinus de Castro
filius quondam item Allegrini dicte porte parochie sancti Laurentii maioris intus, Omnes Civitatis Mediolani Noti idonei vocati
et Rogati.



Ego Tranquilinus Tecchius filius domini Johannis notarius Civitatis Mediolani, porte Ticinensis parochie sancti Ambrosii in Sollaprollo Rogatus
tradidi scripsi et subscripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1820485943-15/fragment/page=1

1355. 7. Julij

Morbio 20 (61)

[illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1820485943-15/fragment/page=2